

potuit emere tali pretio; unde venditor tantum laesus fuit in eo, quod est infra hoc pretium. Dixi *generatim*; quia si lucrum fraude obtentum fuerit, esset restituendum, etiamsi pretium summum non excederet, vel infimum attingeret, iuxta dicta supra n. 897. — V. *Casus*, a n. 900. ad n. 944.

ARTICULUS III. — DE PRAECIPUIS VENDITIONUM SPECIEBUS

Scilicet 1^o de retrovenditione; 2^o de venditione sub hasta, seu per licitationem; 3^o de monopolio; 4^o de venditione per proxenetas.

§. I. De retrovenditione et mohatra.

903. — *Retrovenditio* est contractus (9), quo venditor sibi reservat ius rem suam redimendi, sub conditione quod sumptus, meliorationem, vel similia resarciat.

Mohatra est species retrovenditionis, seu contractus, quo quis rem maiori pretio credito vendit, cum pacto ut emptor ipsi minori pretio, numerata pecunia, retrovendat. — Vide infra Quaer. 3^o.

Dico I. Licitus omnino est contractus retrovenditionis. Illud constat ex Scriptura sacra, quae testatur tale pactum fuisse Iudaeis impositum. Deinde nihil habet, quod iuri naturali contradicat: dummodo enim vera emptio fiat, nec usura palliata intercedat, liberum est venditori de re sua, prout vult, disponere: nec iniuriam ullam emptori infert, cum hic libere de retrovenditione conveniat, nec aliunde damnum in hoc patiat. — S. Lig. n. 812. et alii omnes.

Dico II. *Conditiones ad hoc requisitae* sunt 1^a ut pretium minuatur iuxta aestimationem gravaminis, quod emptori imponitur; 2^a ut non sit pactum de retrovenditione pretio maiori vel minori facienda: licitum est pactum ut retrovendatur eodem pretio, licet res pretio augeatur; 3^a ne pacto exigatur, ut periculum rei venditae cedat in damnum venditoris, cum illud *per se* ad emptorem spectet; nisi tamen pretium iuxta aestimationem periculi augeatur; 4^a ut res retrovendatur, sicut traditur, vacua vel cum fructibus; adde *ex Iure Gallico*, ut non fiat ultra quinquennium. — *Cod. civ. 1660.* (*).

904. *Quaesita.* — *QUAER.* 1^o *Quanto decrescere debeat pretium in retrovenditionis contractu.*

Resp. Regula praecisa determinari non potest, sed decisio plerumque

(9) Vox *retrovenditio* reipsa per se non significat contractum, quo quidpiam venditur aut emitur cum pacto retrovendendi seu redimendi, sed mere significat actum retrovendendi, tum si ex praee-

dente pacto, tum si nullo pacto praecedente id fiat.

(*) Ita et C. I. artt. 1515. 1516. uterque codex hoc pactum venditori tantum non emptori permittit.

a variis circumstantiis pendet; hinc auctores in hoc dissentiunt; alii enim dicunt, pretium decrescere usque ad quartam partem, alii usque ad tertiam, alii melius ad arbitrium prudentium. — Vide S. Lig. n. 812.

905. — *QUAER.* 2^o *An sit licitum pactum rem redimendi ad arbitrium emptoris?*

Resp. Affirm. probabilius, dummodo adsit verus animus emendi et vendendi, emptorque maius pretium solvat iuxta oneris istius aestimationem, et non obligetur venditor redimere pretio maiori, quam recepit. — S. Lig. *ibid.* — Lugo. D. 26. n. 200.

906. — *QUAER.* 3^o *Quid sentiendum sit de mohatra?*

Resp. Est contractus *per se* usurarius, adeoque illicitus et iniustus. Hinc ab Innocentio XI proscriptus est in damnatione prop. 40^{ae}, quae sic iacet: *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu eiusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.* Ratio autem damnationis est, quia in eo contractu usura palliata latet; si vero res sine ullo praevio pacto retrovendatur etiam pretio infimo eidem venditori, non est *per se* illicitum.

Non est tamen damnandus ille contractus, si lucrum inde perceptum taxam legalem pro mutuo non excedat, quia tunc in legitimum mutuum (10) recideret. — V. *Casus*, n. 943.

Occurrit recens quaedam mercatoria operatio, quae ad retrovenditionem refertur; dicitur *relatio (report)*. Consistit imprimis huiusmodi negotiandi modus in iuribus, seu *actionibus (actions)* ad pecuniam apud mercatorias societates collocatam vendendis et reemendis. Illud commercii genus nondum a theologis perpensum fuit. A viris etiam probis passim exercetur, nec ab eis ut usurarium apprehenditur, quia est vera negotiatio, cui leges non adversantur, imo cui auctoritas publica patrocinatur. Proinde haec retrovenditionis species *per se* damnanda non videtur. Facile tamen usurae labem saperet atque *mohatram* redoleret, nisi iustis constringeretur limitibus. — V. *Casus*, n. 917.

§. II. De venditione sub hasta, seu per licitationem.

907. — *Venditio sub hasta* est ea, quae fit per praeconem, et in qua ultimae licitationi res adscribitur.

Licita est, sive fiat consentiente sive invito domino, seu per auctoritatem publicam, sive infra infimum pretium ematur, aut supra summum

(10) Alias iam monuimus, vocem *mutui* hic abusive seu latiori sensu usurpari; nam secus ac forte penes veteres romanos iurisconsultos adhiberetur, certe ecclesia-

stico sensu, qui deinceps ubique ut solus *proprius* praevaluit, contractum *gratuitum* significat.

vendatur; quia potestas publica approbat iustum pretium publice constitutum ex emptorum concursu. Hinc si emptores concurrant, res fit aestimabilior; si non concurrant, vilior habetur. — S. Lig. n. 808. (*Cod. civ. art. 1686.*)

908. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An venditor possit rem suam retrahere, incepta licitatione, si minus pretium offeratur?*

Resp. Neg. per se. Ratio est, quia emptores publice convocati ad auctionem, acquirunt quoddam ius ad rem venalem, quatenus fit stipulatio tacita ut cedat plus offerenti. Attamen videtur temperandus huius doctrinae rigor, ubi forte vigeat contraria consuetudo, vi cuius contraheutes in hoc consentiant. Durum enim videtur damnare iniustitiae praxim universalem, quam docti et etiam pii absque ullo scrupulo tenent. — Ita Billuart, etc. (11).

QUAER. 2^o *An possit venditor mittere factos licitatores, ut pretium rei crescat?*

Resp. Negandum videtur. Ratio est, quia hoc apparet nimis fraudulentum ut excusari possit, cum tendat ad decipiendos emptores sinceros, atque adeo iis iniuriam inferat, dum causa sunt ut pretium crescat ex fraude, non vero ex concursu naturali rerum, ex emptorum scilicet libero concursu. — S. Lig. n. 808. — *Hom. apost. n. 175.*

909. — **QUAER.** 3^o *An ille, cuius bona venduntur in gratiam creditorum, mittere possit amicos ad ea suo nomine emenda?*

Resp. 1^o *Affirm.* saltem attento usu communi, si licitatio sit voluntaria, quia hoc sequi videtur ex eo quod venditor possit rem suam retrahere.

Resp. 2^o *Affirm. a fortiori,* si licitatio sit coacta, seu si fiat auctoritate publica; nam ille, cuius bona venduntur, deterioris conditionis esse non debet. Aliunde ipse non est proprie vendens, cum venditio ipso invito fiat. Ergo.

910. — **QUAER.** 4^o *An emptor possit pactum facere cum aliis, ne licitent, aut ne plus offerant?*

Resp. Neg. saltem in casu coactae subhastationis. Ratio est, quia venditor ius habet, ut emptores sint perfecte liberi, et ne impediatur pretii incrementum. S. Lig. n. 808. (12).

(11) Si venditor minori pretio rem suam distrahere nolit, pretium quod vult, expresse praestituat; secus rem suam sibi retineat, nec incertae sorti committat.

(12) At enim si fas est amicos rogare ne licitent, neve plus offerant, ut infr. (n. seq.) dicitur, vix apparet, cur iidem inter se amici nequeant licite ea de re

convenire. Neque enim hi alios a licitando impediunt; qui si non adsint, hoc sane per accidens continget, sicut etiam fit per accidens, ut unus aliquis, nemine simul concurrente ac decertante, rem vili pretio acquirat. V. *Diana* tom. 6. Tract. 3. res. 72-73.

Excipiunt tamen plures, si emptores sint societate coniuncti, vel quasi coniuncti, ut fratres, amici, etc., quia faciunt quasi unam personam mobilem, nec potest exigi, ut adversum se licitent. Excipiunt etiam probabiliter alii, si vigeat usus, ut venditor rem suam retrahat, quando pretium inferius ei offertur: quia si ipse potest impedire, ne pretium sit nimis exiguum, aequitas etiam postulat, ne conqueratur, quod emptores conveniant, ne pretium nimis augeatur. — Bouvier, etc.

911. — **QUAER.** 5^o *An emptor rogare possit alios, ne licitent?*

Resp. Affirm., quia in hoc non violatur venditoris ius, siquidem libertas licitandi non tollitur, et emptor sua utitur diligentia, ut sibi consulat. Attamen preces importunae esse non debent. — Vide S. Lig. ibid. — V. *Casus*, n. 951. et seq.

§. III. De monopolio.

912. — *Monopolium* est potestas vendendi penes unum aut paucos tantum existens; vel est agendi ratio, qua unus vel plures efficiunt, ut ipsi soli aliquid vendant aut emant. Aliud est *legale*, quod auctoritate publica ex rationabili causa conceditur; aliud *privatum*, quod opera unius aut plurium mercatorum exercetur.

Dico I. *Monopolium legale* licitum est, modo cum iusto pretio fiat. Ratio est, quia ob iustam boni publici causam Princeps illud ceu privilegium, vel ad tributum a mercatoribus exigendum, concedere potest.

Dico II. *Monopolium privatum* illicitum est in sequentibus casibus: 1^o si mercator impediatur fraude vel mendacio, ne aliae merces advehantur, ut ipse merces suas carius vendat cum communi detrimento; 2^o si unus vel pauci merces omnes emant, ut deinde illas carius vendant; 3^o si opifices vel artifices conveniant, ut non doceant artem suam, nisi pretio iniusto, vel ut nullus perficiat opus ab aliis inceptum. — S. Lig. n. 815.

913. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An peccent contra iustitiam et charitatem mercatores, qui conspirant, ne merces suas vendant nisi summo, licet iusto pretio?*

Resp. 1^o *Quoad iustitiam,* duplex est sententia probabilis.

1^a *SENTENTIA affirmat,* quia huiusmodi mercatores per medium iniustum alios pretio supremo emere cogunt. — Laymann, etc.

2^a *SENTENTIA probabilior negat,* quia si alii coguntur ad emendum pretio summo, non coguntur a venditoribus, sed sua necessitate, quae vera coactio ex parte venditorum dici nequit. — S. Lig. n. 817. — Lugo, etc. (13).

(13) Duo nihilominus advertit Card. De Lugo (disp. 26. n. 172. et 173.). Primum est, haec valere, nisi tamen quis ex illis mercatoribus ab aliis per vim, dolum,

Resp. 2^o *Quoad charitatem, affirm.*, quia licet charitate non obligeris ad vendendum infra pretium summum, videris tamen obligari ad non dissuadendum aliis, ne minori pretio vendant. Ita licet charitate non tenearis ad eleemosynam tali pauperi erogandam, prohiberis tamen alios dissuadere, si qui eam largiri volunt: ergo a pari... — S. Lig. ibid.

914. — *QUAER.* 2^o *An peccent contra iustitiam vel contra charitatem mercatores, qui tempore messis aut vindemiae omne triticum vel vinum regionis pretio vili tunc currente emunt, ut postea carius vendant?*

Resp. 1^o *Neg. probabilius*, ut videtur, quoad iustitiam, modo non vendant supra pretium summum, quod secluso monopolio curreret. Ratio, quia nullius ius violant. — Ita Lugo. — S. Lig. n. 817.

Resp. 2^o *Neg. etiam probabiliter quoad charitatem*, modo alios ad carius vendendum non inducant, nec ipsi vendant supra pretium summum, quod praeciso monopolio locum haberet, quia iure suo utuntur; nemo enim proprium commodum negligere tenetur, ut damnum alienum evitet, cum illud avertere non obligetur. — Lugo. — Lessius, etc., contra alios.

QUAER. 3^o *An facto semel monopolio cum pretio iniusto ab aliquibus mercatoribus, liceat aliis merces eodem pretio vendere?*

Resp. Neg., quia pretium ex iniustitia auctum semper manet iniustum, nec aestimatio communis dici debet, sed fraus et deceptio. — Ita communiter cum S. Lig. n. 817. — Vide *Casus*, n. 958. et seq.

§. IV. De venditione per proxenetas.

Venditio per proxenetas ea est, quae non fit immediate ab eo, ad quem res pertinent, sed per alios ex commissione, et hi proxenetae dicuntur.

metumve impediatur, ne merces viliori vendat pretio. Fit enim iniuria emptoribus, cum alii venditores iniuste impediuntur, ne viliori pretio vendant.

Alterum spectat ad inveniendam rite hanc pretii summi iustam mensuram. Ut enim utar verbis De Lugo, circa hoc videtur esse difficultas, quomodo debeat intelligi illud pretium summum iustum, in quo mercatores conspirant absque iniustitia: an scilicet sit pretium summum iustum idem, quod esset, si monopolium non fieret, an vero illud, quod supposita illa difficultate et conspiratione venditorum, aestimaretur iustum. Videtur enim

non posse fieri conspirationem illam, quin eo ipso varietur pretium iustum, cum iustitia pretii desumatur ex facilitate et copia, vel difficultate et raritate venditorum. Respondetur tamen, procul dubio intelligi in primo sensu de pretio iusto summo, quo, secluso eo monopolio, merces illae venderentur, et ita supponunt praedicti Doctores (si scilicet, qui pro negativa hac sententia stant): pretium enim iustum non debet desumi ex statu ab ipso monopolio introducto, sed ex statu, quem, eo secluso, merces haberet; cuius rationem statim reddemus.

Proxenetae autem possunt esse vel tantum amici, vel speciali mercede ad hoc conducti, vel ad diversa opera pretio annuo locati.

915. *Quaesita.* — *QUAER.* 1^o *An proxeneta, qui vendit supra aut emit infra pretium sibi designatum, possit excessum pretii sibi retinere?*

Resp. Neg. generatim loquendo. Ratio est, quia nullum habet titulum aliquid retinendi. Etenim 1^o non ratione rei, quia illius non est, sed domini; 2^o nec ratione laboris et industriae saltem stricto iustitiae titulo debita, quia si stipendio sit conductus, ad nihil aliud ius habet; si vero industriam gratuito praestet, iam mercedi (14) renuntiavit. — S. Lig. n. 825. et alii communiter.

Excipe, 1^o si labore extraordinario et indebito, aut industria vel diligentia omnino speciali, rem meliorem fecerit; 2^o si dominus expresse aut aequivalenter declaraverit, se nihil ultra pretium determinatum exigere: tunc enim excessus retineri potest, 3^o si dominus agendi rationem proxenetae noverit et ratam habeat. — Sic communiter Theologi.

916. — *QUAER.* 2^o *An possit proxeneta rem pretio sibi determinato vendendam pro seipso emere, et postea eandem rem tamquam suam maiori pretio vendere?*

Resp. Affirm., positis duabus conditionibus, scilicet 1^o ut adhibita morali diligentia emptorem non inveniat, qui plus offerat; secus enim contra officium suum et voluntatem mandantis certo cognitam ageret; 2^o ut rem sibi non fiete, sed vere emat, ita ut eius periculum subeat; et si forte tanti non vendat, nihilominus pretium determinatum reddat; secus enim aequitas non servatur. — Ita communiter.

QUAER. 3^o *An proxeneta possit sibi retinere ea, quae vendens solo eius intuitu gratis donat?*

Resp. Affirm., si constet de vera donatione: quia mercator absolute loquendo aliquid cedere potest de lucro suo alicui proxenetae, ut eum ad officinam suam adducat; sed ad hoc requiritur, ut sit revera dispositus ad vendendum alteri cuilibet pretio superiori, et reapse sic ordinarie vendat. Confessarius autem non facile fidem adhibere debet proxenetis, tales donationes sibi factas fuisse asserentibus. — S. Lig. n. 825. — *Hom. apost.* n. 189.

(14) Intellige abdicatam per id fuisse mercedem, saltem quae stricto iustitiae titulo debeatur.